



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

5 Vtrum repentina magis timeantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

morum iam dictam, timore presenti potest homo F  
timere futurum timorem.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, contra quae non est remedium, magis timeantur.

Vtrum repentina magis timeantur.

Infr. q. 48.  
art. 3. ad 3.

Cap. 5. ante  
med. to. 6.

Ca. 8. in fin.  
tom. 5.

Ca. 6. a med.  
tom. 1.

Artic. 3.

li. 1. aliquā-  
tulum a me-  
dio.

Toto citato  
in argum.

**A**D QVINTVM sic proceditur. Videtur: quod insolita & repentina non sint magis terribilia. Sicut enim spes est de bono, ita timor est de malo, sed experientia facit ad augmentum spei in bonis. ergo etiam facit ad augmentum timoris in malis.

¶ 2 Præter. Philosophus dicit in 2. Rhet. \* quod magis timeantur non qui acuta sunt ira, sed mites & astuti: constat autem quod illi qui acuta ira sunt, magis habent subitotus motus. ergo ea quae sunt subita, sunt minus terribilia.

¶ 3 Præter. Quae sunt subita, minus considerari possunt: sed tantum aliqua magis timeantur, quantum magis considerantur. unde Philosophus dicit in 3. Ethi. \* quod aliqui videntur fortes propter ignorantiam, qui si cognouerint quod aliud sit, quam suspicantur, fugiant. ergo repentina minus timeantur.

**S**ED CONTRA est, quod Aug. dicit in 2. Confes. \* Timor insolita & repentina exhorrescit, rebus quae amantur aduersantia, dum precauet securitati.

**R**ESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, \* obiectum timoris est malum imminens, quod non de facili repellitur: hoc autem ex duobus contingit, scilicet ex magnitudine mali, & ex debilitate timentis: ad utrumque autem horum operatur, quod aliquid sit insolitum & repentinum. Primum quidem facit ad hoc, quod malum imminens maius appareat. Omnia enim corporalia & bona, & mala quantum magis considerantur, minora apparent, & ideo sicut propter diuturnitatem dolor praesentis mali mitigatur, ut patet per Tullium in 3. de Tullul. quaestionibus \* ita et ex praemeditatione minuitur timor futuri mali. Secundum, aliud esse insolitum & repentinum facit ad debilitatem timentis, in quantum subtrahit remedia, quae homo potest praeparare ad repellendum futurum malum, quod esse non possunt, quoniam ex improviso malum occurrit.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod obiectum spei est bonum, quod quis potest adipisci: & ideo ea quae augmentant potestatem hominis, nata sunt augere spem, & eadem ratione diminuerent timorem, quia timor est de malo, cui non de facili potest resisti. Quia igitur experientia facit hominem magis potentem ad operandum, ideo sicut auget spem, ita diminuit timorem.

**A**D SECVDVM Dicendum, quod illi qui habent iram acutam, non occultant eam: & ideo nocumeta ab eis illata non ita sunt repentina, quin prauidcantur, sed homines mites & astuti occultant iram: & ideo nocumentum quod ab eis imminet, non potest prauideri, sed ex improviso aduenit. & propter hoc Philosophus \* dicit, quod tales magis timeantur.

**A**D TERTIVM Dicendum, quod per se loquendo, bona uel mala corporalia in principio maiora apparent, cuius ratio est, quia unumquodque magis apparet contrario iuxta se posito. unde cum aliquis a paupertate ad diuitias transit, propter paupertatem praexistentem diuitias magis aestimat: & e contrario, diuites statim ad paupertatem deuenientes, eam magis horrent, & propter hoc malum repentinum magis timeantur, quia magis uidetur esse malum. sed potest propter aliquod accidens contingere, quod magnitudo alicuius mali, lateat, puta, cum hostes se insidiosum occultant, & tunc uerum est, quod malum ex diligenti consideratione sit terribilius.

**A**D SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod ea quae non habent remedium, non sint magis timeanda. Ad timorem enim requiritur, quod remaneat aliqua qua spes salutis, ut supra dictum est: \* sed in malis quae non habent remedium, nulla remanet spes salutis. ergo talia mala nullo modo timeantur.

¶ 2 Præter. Malo mortis nullum remedium adhiberi potest. non enim secundum naturam potest esse reditus a morte ad uitam, non tamen mors maxime timeatur, ut dicit Philosophus in 2. Rhet. \* non ergo ea magis timeantur, quae remedium non habent.

¶ 3 Præter. Philosophus dicit in 1. Eth. \* quod non est magis bonum quod est diuturnius, eo quod est unius diei: neque quod est perpetuum, eo quod non est perpetuum. ergo eadem ratione neque maius malum: sed ea quae non habent remedium, non uidentur differre ab aliis nisi propter diuturnitatem, uel perpetuitatem. ergo propter hoc non sunt peiora, uel magis timeanda.

**S**ED CONTRA est, quod Philosophus dicit in 2. Rhet. \* quod omnia timeanda sunt terribiliora, quaecumque, si peccauerint, corrigi non contingit, aut quorum auxilia non sunt, aut non facilia.

**R**ESPON. Dicendum, quod obiectum timoris est malum. unde illud quod facit ad augmentum mali, facit augmentum timoris: malum autem augetur non solum secundum speciem ipsius mali, sed etiam secundum circumstantias, ut ex supra dictis apparet. \* Inter ceteras autem circumstantias diuturnitas, uel etiam perpetuitas magis uidetur facere ad augmentum mali. Ea enim quae sunt in tempore, secundum durationem temporis quodammodo mensurantur. unde, si pati aliquid in tempore tanto est malum, pati idem in duplo tempore apprehenditur ut duplatum. & secundum hanc rationem pati idem in infinito tempore, quod est perpetuo pati, habet quodammodo infinitum augmentum: mala autem quae postquam aduenierint, non possunt habere remedium, uel non de facili, accipiuntur ut perpetua uel diuturna. & ideo maxime redduntur timeanda.

**A**D PRIMVM ergo dicendum, quod remedium mali est duplex. Vnum, per quod impeditur futurum malum, ne adueniat, & tali remedio sublatum auferri spes, & per consequens timor, unde de tali remedio nunc non loquimur. Aliud remedium mali est, quod malum iam praesens remouetur, & de tali remedio nunc loquimur.

**A**D SECVDVM Dicendum, quod licet mors sit irremediabile malum, tamen quia non imminet de prope, non timeatur, ut supra dictum est. \*

**A**D TERTIVM Dicendum, quod Philosophus ibi loquitur de per se bono, quod est bonum secundum speciem suam, sic autem non fit aliquid magis bonum propter diuturnitatem, uel perpetuitatem, sed propter naturam ipsius boni.

QVAESTIO XLIII.

¶ Super quaestio. quadragesima sexta articulum primum.

De causa timoris, in duos articulos diuisa.

**E**INDE considerandum est de causa timoris.

¶ Et circa hoc quae sunt duo. ¶ Primum, utrum causa timoris sit amor. ¶ Secundum, Vtrum causa timoris sit defectus.

IN quaestione quadragesimo tertio, tota nihil scribendum occurrit, nisi ex utroque articulo attentum te reddere, ut discas causas passionum cognoscere, & discernere, ex parte obiecti & subiecti &